

Quis porro non videat ejusmodi argumenta talia esse, ut probationes christiane religionis non solum non infirmant, sed ne attingant quidem? Si tota christiana religio non est nisi factum quoddam, plane patet nihil unquam proficere posse ejusdem adversarios, nisi monumenta destruant quibus illa fulcitur; cum vero hæc monumenta summo certitudinis gradu innitantur, infirmari non possunt, quin ipsius certitudinis subruantur fundamenta.

Rursum facta christiane religionis ita inter se firmo nexu colligantur, ut, ejus veritate ac divinitate posita, omnia explicentur, et illa sublata, sic omnia in suspensio maneat vel totidem effectus sine causa.

Cum autem hæc agendi ratio contraria sit ipsi humanæ nature, vim sibi inferant necesse est qui eam sectantur, neque unquam quiescere possint. Poterunt quidem increduli sibi ad tempus illudere, ferventibus præsertim cupiditatibus; ratio tamen jus suum semper sibi vindicat. Unde fit, ut, quieto tandem animo christiane religionis motiva perpendentes, increduli non pauci demum respiciant, vel saltem in mortis discrimine constituti plerique in sinum ejus confugiant. Pauci enim omnino sunt, qui ita obdurescunt, ut velint ad extremum usque vite spiritum in incredulitate persistere, iique vel stolidi vel corrupti-

qui quam primum obsolescent et ipsi. Hæc est enim conditio omnium religionis christiane impugnatorum et hostium, sive principes ii fuerint, sive scriptores: *Ecce inimici tui, Domine, ecce inimici tui peribunt*; eorum nomina in pulvere scripta sunt, licet ætate qua vixerunt, magnum de se excitaverint fragorem.

simi, qui nunquam aut fere nunquam finem cogitant, ad quem conditi sunt; ac ne turbentur a falsa illa qua frui videntur pace, a quocumque religionis examine refugiant pejus quam a cane et angue (1).


Expendant igitur religionis christiane fundamenta, et motiva conferant si placet cum suis argumentis, omnibus anticipatis judiciis exclusis, ut restam gravis postulat, lucem a Deo enixis precibus humiliter ac sincero animo petant, et procul dubio ad eam religionem revertentur a qua aberrantes recesserunt.

(1) Facile posset catalogus et quidem prolixus exarari eorum incredulorum, qui duobus abhinc sæculis, vel examine accurate instituto ad catholicam fidem redierunt, vel saltem quos penituit propria incredulitatis in articulo mortis, ac se cum ecclesia reconciliarunt, vel omni ratione conati sunt id efficere, licet hinc amicorum artibus et fraude, justo illinc Dei judicio, obstacula non levia repererint, quominus id exequerentur. D. Emery in quodam opusculo de hoc argumento edito hæc habet: *On ferait une longue liste des esprits forts qui ont rendu hommage à la religion au moment de la mort. Nous ne citerons que quelques-uns de ceux dont le nom est le plus connu: Boulanger, Toussaint, Boulainvilliers, le marquis d'Argens, Montesquieu, Maupertuis, Buffon, Dumarsais, Fontenelle, Damilaville, Thomas, Bouguer, de Langle, Tressan, Mercier, Palissot, Poulavie, Larcher. Diderot voulait se confesser, on lui en ôta les moyens. « Sans moi, » disait Condorcet, parlant de d'Alembert, « sans moi il faisait le plongeon. » Il paraît qu'on se précautionna également contre la faiblesse de Voltaire, qui mourut, au rapport de Tronchin, dans les convulsions de la rage, en poussant le cri sinistre: « Je suis abandonné de Dieu et des hommes. » J. J. Rousseau, selon toutes les vraisemblances, termina lui-même sa vie.*

## DE VERA RELIGIONE.

### Pars altera

#### ADVERSUS HETERODOXOS.



Heterodoxorum nomine veniunt sectæ omnes, cujuscunque demum communionis ac denominationis sint, quæ sive in pluribus, sive in paucioribus fidei articulis, ab ecclesiæ catholicæ doctrina quovis tempore recesserunt, vel ab ea in dies recedunt. Longum propterea esset, imo vix possibile tot sectarum errores singillatim persequi. Revocari propterea disputatio nostra debet ad aliquod generale principium, a quo tota controversia sponte sua quodammodo defluat. Constituta porro atque in tuto posita divinæ revelationis existentia adversus incredulos, inquirendum superest, num Deus qui suam aperiens doctrinam ac voluntatem hominibus mirifice prospexit, hanc suam revelationem privatis hominibus seu spiritui privato uniuscujusque dimiserit, an vero alicui cœtui seu societati a se institutæ, publicæ, in-

fallibili atque perpetuæ conservandam atque interpretandam tradiderit et consignaverit. In hac vero posteriori hypothese remanet discutiendum, quænam societas legitimos titulos præseferat, quibus jure meritoque sibi vindicet divinam hæc auctoritatem. In his maximi momenti quæstionibus expendendis tota versabitur altera hæc tractatus nostri pars. Ex duplici hæc disquisitione, controversiæ peculiare omnes enucleantur ac dissolvuntur, cum ubi semel de illis constiterit, non agatur amplius nisi de audiendo ejusmodi infallibili magisterio a Christo ipso instituto. Omnem proinde diligentiam impendemus ad argumentum istud solide evolvendum, quod ut obtineamus, continenti propositionum serie, quæ se invicem excipiant, rem totam complectemur.

PROPOSITIO PRIMA.— *Validissimæ rationes ostendunt, de via ordinaria divinam revelationem ab auctoritate divinitus instituta atque infallibili custodiri atque proponi debere.*

Ut patet ex ipsa propositionis enunciatione, sermo hic non est de ipsa actuali revelatione, seu actuali veritatum manifestatione, sed de revelatione jam facta, litterisque consignata, vel viva voce transmissa, seu de collectione ipsa ac corpore, ut ita dicam, jam factæ revelationis.

Hiscæ positis, sic 1. ex ipsa natura rei, de qua agitur, evincitur propositio. Nisi enim a publica, externa ac infallibili auctoritate, divina revelatio proponeretur, infallibiliter nobis constare non posset de identitate divinæ revelationis; fluctuare semper deberemus incerti, utrum id vere revelaverit Deus, nec ne; an quidpiam eidem additum, quidpiam ab ea detractum fuerit, eo vel maxime quod autographa omnia cito perierint (1). Cum vero fides non minus divina et infallibilis esse debeat in suo objecto et motivo quam in medio per quod proponitur, patet revelationem non nisi ab infallibili atque divina auctoritate proponi posse.

Id ipsum pariter evincitur ex necessitate determinationis sensus legitimi ejusdem revelationis. Etenim, cum revelatio in hominis gratiam ac bonum data sit, necessario verbis ac signis patet fieri ac exprimi debuit. Jam vero verba diversa plerumque habent significationes, diversos, quandoque etiam contrarios, expriment conceptus (2), æquivoca propterea sunt seu æquivocationi subjecta; nisi itaque ab infallibili auctoritate divinitus ad hoc instituta, revelatio proponeretur, nutantes ac dubii semper essemus circa verum objectum ac germanum sensum ac intelligentiam ejusdem revelationis; præsertim cum agitur de mysteriis humanæ rationi imperviis, in quibus hallucinatio facillima est. Quod ex perpetuo experimento nimis luctuoso ex parte illo-

(1) De autographis V. T. nihil omnino scimus; quoad autographa autem N. T. Cellérius in suo: *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament*, Genève 1823, sect. II, censet ipsa, utpote exarata in cortice papyri, quæ usitatissima tunc erat, cum scripta illa edita sunt, cito periisse, adeo ut ætate Tertulliani, Clementis Alex., Origenis nulla amplius vestigia superfuissent.

(2) Pluribus exemplis ostendi id facile posset; cum vero id neque a protestantibus ipsis nunc in dubium revocetur, non est cur in re non necessaria opus impendamus. Certe ad sensum determinandum verborum sacræ scripturæ, ipsi perpetuo accedunt vel ad *usum loquendi*, quem vocant, vel in subsidium adsciscunt linguas affines, passim ad phrases profanorum scriptorum phrases exigunt scripturales, et tamen perpetuo hærent, ac fluctuant incerti, et quod ab uno scriptore affirmatur ut certum, ab altero ut falsum rejicitur. Levis istorum commentatorum sive exegeticorum, seu potius philologorum lectio sufficit, ut quisque intelligat in quanta ipsi versentur fluctuatione. Istorum opera ut plurimum non sunt nisi contextus auctorum heterodoxorum vel affirmantium vel negantium, hunc vel illum nativum sensum esse verbi quod expendunt. Præter *Criticos sacros* videri possunt Kuinoel, Rosenmüller, Eichorn, etc.

rum omnium qui viam auctoritatis deserentes sibi ipsis duces esse voluerunt, mirifice confirmatur. Eo enim devenerunt ut, licet sacros revelationis codices assidue versent, in desperationem acti, nesciant quid tenere debeant, tot diversarum interpretationum numero, varietate ac contrarietate huc illuc distracti (1).

Ex perpetuitate demum ipsius divinæ revelationis eadem veritas patet. Divina enim revelatio non pro solis presentibus, sed pro omnibus omnino hominibus cujuscunque ætatis facta est; quare, nisi perpetua quædam semperque vivens divinitus instituta auctoritas esset ad eandem inviolate servandam, et custodiendam a privatorum hominum novitatibus, interpolationibus, præposteris interpretationibus, prout experientia passim fieri videmus (2), nunquam nobis constare posset de ejusdem veritate atque integritate; hinc necessario lites ac controversiæ perpetuæ quæ nunquam dirimi possent. Abhorret autem ab idea sapientis legislatoris permittere cujusque hominis arbitrio codicem, et sensum propriæ legislationis. Quod ut aliquo exemplo magis declaratur, fingamus animo, quempiam viatorem duas obire civitates, quæ æque gloriantur optimis sibi datis legibus atque statutis, et ambæ ut sapientissimum habeant legislatorem, utrique civitati communem; sciscitante autem ab iis viatore, quemnam sapientissimus hic legislator constituerit magistratum, vel quod tribunal ad codicem suum incolumem servandum, vel quem interpretem ad lites quæ suboriri solent dirimendas, altera indicet constitutos a legislatore iudices et magistratus, altera autem contentat non alium a legislatore constitutum iudicem ac interpretem quam codicem ipsum, cui fidem adhibebit viator, et quam ex his duabus civitatibus verum dicere arbitrabitur? Illam profecto, quæ magistratus ac iudices constitutos affirmat, cum hoc longe magis congruat sapientiæ ac prudentiæ optimi legislatoris, qualem fuisse ambæ profiterentur, eum rei natura id exigat; cum enim lites excitantur, ut plurimum circa sensum codicis versantur; absurdum autem est affirmare, ad litem dirimendam constitutum esse codicem ipsum, circa cujus sensum lis moveri solet.

Validissimæ igitur rationes ostendunt, quod nisi extraordinario aliquo medio a Deo ipso provideatur,

(1) Sane ecclesiæ genevensis (ut alia exempla missa faciam) in suo *Statuto*, sub die 3 Maii an. 1817, prohibuit, ne quispiam in scholis agat de quæstionibus apud ipsam controversis, circa duas J. C. naturas, peccatum originale, gratiam et predestinationem. Vide *Précis des débats théologiques de Genève*, par J. J. Chenevière, 1824, p. 22. Nempe eadem ratione ac exercitus imperator seu dux, cum se viderit ad extrema redactum, monet ut sibi quisque prospiciat; ita ecclesiæ reformatae tot dubiis ac tot perplexitatibus pressæ et contradictionibus absque ullo termino, quibus ipsarum doctrinæ scætant, eo demum devenerunt ut dicerent membris suis: En Biblia, legite, expendite, cudite vobis religionem, sibi quisque prospiciat. Vid. *The catholic miscellany*, mensis Julii 1826.

(2) Non pauca exempla ejusmodi novitatum, interpolationum, etc. inferius dabimus.

de via ordinaria necesse sit, aliquam constitutam divinitus auctoritatem esse, eamque infallibilem atque perpetuam, quæ divinam revelationem custodiat, proponat, verumque illius sensum aperiat.

## DIFFICULTATES.

Obj. Ante Christi adventum nulla instituta fuit infallibilis ejusmodi auctoritas, ad divinam revelationem proponendam; ergo.

Resp. D. A. Quia Deus extraordinaria quadam ratione et providentia supplebat ejusmodi defectui, C. secus N. Vel enim sermo est de tempore patriarcharum, vel de eo quod subsequitur est sub Moysæ, respectu Hebræorum vel ethnicorum. Certum autem est Deum, in prima illa epocha per immediatas apparitiones sæpius repetitas, revelationis jam factæ integritati ac germano sensui prospexisse. Quod vero spectat ad ætatem posteriorem, præterquam quod constituta jam fuit synagoga ac sacerdotium Aaronicum, quod depositarium fuit et quidem publicum atque perenne mosaicæ legis, certum pariter est ipsum Deum suæ revelationi consuluisse, per prophetarum seriem nunquam fere interruptam, usque ad Christum, ac singulari providentia populum suum rexisset, ut incolume servaretur revelationis depositum (1). His addimus fidei articulos, ad salutem obtinendam explicate credendos, paucissimos fuisse, unitatem nempe

(1) Josephus Flavius exhibet catalogum omnium summorum sacerdotum, qui, non interrupta serie, ab Aaron usque ad Ananum, seu Annam et Caipham, sub quibus mortuus est Christus, sibi invicem successerunt, et ab his usque ad Joan. Giscala, qui omnium Pontificum judæorum postremus fuit; sub ipso enim a Romanis excisum est templum flammisque consumptum; qui omnes fuerunt octoginta novem. Sic dividit:

Ab Arone ad Salomonem, qui primum templum crexit,	15, spatio ann. 612;
a Salomone usque ad captivitatem Babylonicam,	18, — — 466;
a captivitate Babyl. usque ad Antiochum Eupatorem,	15, — — 412;
ab Antiocho, qui Oniam in cognomento Menelaum sacerdotio spoliavit, usque ad Herodem II, omnes Assamonei, quorum ultimus fuit Aristobulus, creatus Pontifex ab Herode, a quo postea vita privatus est; post hunc usque ad Titum successere alii	15, — — 113;
	28, — — 107;
	89

Vid. *Antiquitatum* lib. xx, cap. 10. Jam vero Salvador, *Histoire des Institutions de Moïse*, etc. liv. II, *Des fonctions législatives*, chap. 1, *De la magistrature sacerdotale*, p. 128 et seqq. observat scopum institutionis leviticæ esse vigilantiam ad legis conservationem. Ejusmodi officium pariter spectabat ad publicum totius gentis synedrium. His addatur series prophetarum usque ad Malachiam. Joseph. lib. I, *contra Appionem*, c. 2, n. 3, refert libros quos nos deuterocanonicos dicimus, diligenter in catalogo digestos scripturarum fuisse, etsi non habeant parem auctoritatem ac præcedentes (scilicet protocanonicæ) ex defectu successionis non satis claræ prophetarum. Ex quibus patet nunquam divinæ revelationis depositum in V. T. fuisse privatorum arbitrio commissum.

Dei creatoris et remuneratoris, expectationemque futuri liberatoris (1), qui proinde facillima ratione ad seram usque posteritatem transmitti poterant. Nondum enim completa revelatio data fuerat. Quod si aliqui ex propria culpa illos oblitterarunt, penes ipsos sit; quamquam si absque personali culpa aliqui posteriorem præsertim articulum ignoraverunt, dummodo legem naturalem observaverint, dubitandum non est, Deum pro sua bonitate aliquo modo iis providisse, et si aliqui adhuc ejusmodi sint, iis providere, infundendo nempe iis habitum fidei, spei et charitatis supernaturalis, sine quo nemo finem suum, supernaturalem scilicet beatitudinem, consequi potest, secus ac rationalistæ sentiunt, et qui ipsorum vestigia premere non erubuit Franc. Brenner canonicus bambergensis, in libro cui titulus: *De dogmate* (2).

Ceterum nunquam Deus ita suam revelationem privatorum hominum arbitrio atque interpretationi dimisit, ut fas unicuique fuerit eam aliquo modo vel temerare vel exponere.

I Inst. 1. Ethnicis non potuerunt revelationem habere, nisi per privatam familiarum traditionem, ideoque absque ejusmodi publica atque infallibili auctoritate; 2. atque ex ipsis judæis non nisi pauci viderunt prophetas, eosque immediate audierunt, quia dicendum sit eos omnes fide divina caruisse; ergo.

Resp. ad 1. D. Qui proinde eandem revelationem vel oblitterarunt vel innumeris prope commentis ac fabulis temerarunt, C. integram custodierunt *subdist.* Nonnulli privati qui primævam revelationem, extraordinaria ratione propositam, traditione conservarunt, Tr. nationes integræ N. Quo propiora fuerunt tempora primævæ revelationi, eo magis pura conservata est, etiam apud gentes divina revelatio; ast processu temporis adeo oblitterata est vel scadata, ut non nisi vestigia superfuissent veluti navis tabula per naufragium diffracta, quas ingenti labore eruditi hinc inde collegerunt (3). Quæ quidem vestigia duo

(1) Apostolus, Heb. xi, 6, his verbis veluti compendio quodam complexus est, quæ fide necessaria ad salutem tenenda essent: « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. »

(2) Landshutii, 1852.

(3) Præsertim Eusebius Cæsariensis in duobus præclaris operibus *de præparatione ac de demonstratione evangelica*. Ex recentioribus vero plures viatores universalis ejusmodi traditionis rudera, ut ita dicam, atque fragmenta, penes diversos populos barbaros atque silvestres collegerunt. Inter quos dignus est qui legatur Comes Carli Rubi in suis *Lettere Americane*, duobus voluminibus; nec non *Croyances, superstitions, et restes des traditions primitives observées par M. Dumont d'Urville, dans son voyage autour du monde à bord de l'Astrolabe, dans la Nouvelle-Zélande, et les îles de Tonga, etc.*, *Annales de philosophie chrétienne*, recueil périodique, 5. année, tom. VIII, n. 43, 51 janvier Paris 1854; *Neue theologische Zeitschrift*, von D. Joseph Pleitz, id est, *Novæ ephemerides theol.*, Viennæ, 1833, fasc. II, p. 189-210, fasc. III, p. 505-529, fasc. IV, 26-50. Ex quibus patet apud universas gentes obtinuisse ideam existentie Dei, semideorum seu angelorum, pugne inter duos primos fratres Cain et Abel, Trinitatis occupatæ in hominis creatione, feminæ ædificatæ ex viri costa, lapsus protoparentum, etc.

ostendant, nempe tum revelationem quamdam olim datam hominibus fuisse, tum corruptam hominum eorumdem incuria ac negligentia. Hinc nisi Deus, per peculiarem populum quem sibi delegit ejusdem revelationis custodem ac depositarium, ei prospexisset, actum penitus de ea esset, prout etiam nunc temporis absque catholica ecclesia vix rudera, ut ita dicam, magni illius adificii, quod per revelationem conditum est, superessent atque clementa (1). Quod si nonnulli, sique paucissimi inter ethnicos, intemperate servarunt acceptam revelationem, id acceptum referri debet tum paucitati articulorum qui credendi propositi erant, tum peculiari etiam divine gratiæ subsidio, quo factum est ut eorum memoria prorsus non deleteretur. Addendum præterea est, actum tunc temporis minime fuisse de integro revelationis codice, prout nunc agitur, quem proinde neque interpretari, neque corrumpere potuissent, sed de memoriter retinendis paucis articulis, ut notavimus. Tantum porro abest, ut exinde possit aliquid contra nos erui, ut magis confirmetur quod demonstrandum assumpsimus. Etenim cum ageretur de illa partiali revelatione adeo aperta et facili, per traditionem ad posteros transmittenda, si ea tantum de sua perspicuitate atque integritate amisit inter gentes, non aliam ob causam nisi quia carebant ea auctoritate ac magisterio per quod integra et incolumis servaretur, quanto apertius patet ejusdem auctoritatis necessitas, ubi agitur de revelatione completa ac litteris consignata, ut nihil addam de parte illa quæ per solam traditionem transmissa est?

Ad 2. N. *conseq.* Etenim prophætæ missi potissimum sunt ad homines in officio continendos, et ad sartam tectamque divinam jam datam revelationem apud illos servandam, et ad manifestandam peculiarem aliquam Dei voluntatem, non autem ad divinam primitivam revelationem ad salutem necessariam, proponendam. Quoties nempe opus fuit prophetas mitti ad judæos præsertim revocandos ad legis observantiam, vel ad peculiarem Dei voluntatem ipsis aperendam, independentem etiam a synagoga approbatione missi a Deo sunt, non vero ad novos fidei articulos proponendos, sed potius ad jam receptos magis ac magis confirmandos et enucleatius exponendos, contortasque interpretationes privatorum corrigendas, questionisque, si quæ orire essent, dirimendas (2), et ad ipsorum animos excitandos in

(1) Sane cum unaquæque secta hæreticorum eorum qui a temporibus apostolicis ad nos usque exorti sunt qui vix numerari jam possunt, aliquam revelationis partem negaverit, cum unaquæque præterea aliquid de suo adjecerit, cum nullus sit fidei articulus qui plures non sit nactus adversarios atque impugnatores; absque ecclesiæ catholicæ firmitate tanta esset rerum omnium perturbatio atque confusio, etiam post Christi adventum, qualis fuit apud omnes populos (si unam excipias ecclesiam judaicam seu synagogam) circa primitivas traditiones quæ, si non penitus perierunt, ita tamen fuerunt corruptæ, ut absque earum prototypo nihil certum in iis discernere possemus. Hoc vero magis patebit ex inferius dicendis.

(2) Hoc munus semper fuit prophetarum qui a Deo

PERRONE. I.

spem proxime futuri liberatoris adventus. Ceterum et ex jugi prophetarum missione, ad integritatem ac puritatem factæ revelationis conservandam, rursus colligitur necessitas illius auctoritatis quam adstruimus. Scripta vero prophetarum simul ac emittebantur, synagoga seu synedrium ea in reipublicæ tabularum inferebat, ut intemerata ibi servarentur (4). Cum his præsiis destituta fuerint gentes ceteræ, hoc ipso amiserunt vel fœde corruerunt revelatas veritates; licet omnes a Noe ejusque illis, ex quibus originem trahebant, eas acceperint; ex quo magis semper ac magis absoluta necessitas eruitur ejusdem custodis ac interpretis divinæ revelationis.

H. Inst. Exceptis protoparentibus, qui immediate primitivam illam revelationem a Deo ipso acceperant, reliqui non nisi per illos eam cognoverunt; jam vero protoparentes eorumque posteri auctoritatem illam publicam atque infallibilem minime constituiebant; ergo.

Resp. D. *min.* Ita tamen ut Deus extraordinaria providentia, ut dictum est, illius integritati atque incolumitati prospexerit, C. secus N. Nam protoparentes et patriarchæ aliique quibus Deus se manifestavit ac recensitos articulos credendos proposuit, eos, ut patet, fide divina tenebant, reliquis autem certitudine morali summa constabat de factis illis; hinc ipsi eosdem articulos eadem fide credebant. Deus interea nunquam destitit extraordinaria sua providentia, prout temporis illius infantia exigebat, ab iis in memoriam revocandis, ut eorum fides viva servaretur usque ad plenitudinem temporis, in qua misit filium suum qui revelationem complevit, et ad suam perfectionem adduxit. Præterea nunquam dimittenda est distinctio superioris proposita (in resp. ad 1 inst.), aliud nempe esse transmittere oralem traditionem de nonnullis articulis, aliud vero cum agitur de corpore ipso totius completæ revelationis, sive scriptis consignatæ, sive per traditionem transmissæ, licet et in primo casu opus fuerit peculiari Dei providentia ad eam integre custodiendam, nec Deus eam privatorum arbitrio ac interpretationi dimiserit.

PROPOSITIO II. — *Sola ecclesia a Christo instituta instructa est hac infallibili auctoritate.*

Ecclesiæ nomine hic non intelligimus cœtam om-

excitabantur, non solum ad futura enunciantia, verum etiam ad arguendos judæos ob legis transgressionem, atque ad evertenda inania quorundam commenta, sæpeque perversa ad effugiendam legis observantiam, atque ad falsam spem concipiendam nescio cuius immunitatis a promeritis pœnis ob ipsorum flagitia. Plenæ sunt prophetarum volumina ejusmodi acerbis objurcationibus, præsertim apud Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, etc. Quod si nonnulla dubia, vel questiones exortæ essent, eas prophetæ dirimebant (1 Mach. IV, 46; IV Reg. XXII, 14 et alibi passim).

(1) Vid. *Histoire critique du Vieux Testament*, par le P. Richard Simon. Rotterdam 1685, tom. I, liv. I, ch. 4. Qui tamen plura habet quæ probari nullatenus possunt a sano catholico.

(Six.)

nium fidelium qui legitimis pastoribus subsunt sub Romano Pontifice, eademque cum ipsis fidem profitentur, eademque sacramenta participant, sed potius episcopatum universum seu, ut ita dicam, in tota sua plenitudine, nempe corpus pastorum una cum Romano Pontifice.

Jam vero episcopatus in apostolis, qui primi episcopi fuerunt, eorumque capite ac principe Petro, divinam revelationem eandemque completam immediate a Christo et Spiritu Sancto accepit; Christus praeterea apostolos misit per universum mundum ad divinam revelationem patefaciendam hominibus, ipsisque propriam adstantiam promisit usque ad mundi finem. Aperta sunt Christi verba apud Matth. cap. ult. : *Euntes docete omnes gentes. . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum* (docentibus et baptizantibus) *omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*; et apud Joan. XIV, 16, 17 : *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. . . apud vos manebit et in vobis erit*. ibid. d. XVI, 13, proseguitur Christus : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; ac rursus, ibid. XX, 21 : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.*

Quae quidem asserimus ut monumenta tantum historica, utpote relata ab auctoribus qui ea referunt quae ipsimet immediate a Christo ipso acceperunt, et omni fide digni sunt, non autem ut testes divinitus inspiratos eos hic sumimus. Uno verbo, adstruimus factum institutum ac fundatum a Christo societatis, quae depositaria ab ipso instituta est doctrinae suae, cuique ipse commisit magisterium omnium gentium per instructionem viva voce faciendam. Non enim dixit Christus apostolis : *Euntes scribite*, sed *Euntes docete*, neque ad tempus tantum, sed semper, quousque scilicet erunt vel gentes convertendae, vel gentes conversae in doctrina semel accepta conservandae. Hoc propterea magisterium iuge ac perpetuum esse debet. Apostoli vel discipuli non nisi data occasione commentaria sua ediderunt. Quin et hoc sedulo animadvertendum est, evangelistas minime in animo habuisse codicem integrum et absolutum Christi doctrinae et legum posteritati tradere, sed commentarium historicum gestorum et dictorum Christi, et quidem neque integrum neque perfectum, adeo ut non possint haberi evangelia ut codex et norma saltem perfecta et adaequata credendorum et agendorum. Ex quo sequitur, Christum non aliam voluisse gentibus sive convertendis sive conversis relinquere sive constituere regulam proximam eorum quae et credere et agere deberent, nisi publicum, iuge ac vivens ecclesiae magisterium.

Hinc patet adeo connexum esse systema auctoritatis cum ipsa revelatione, ut necesse sit vel recedere omnem revelationem quae praeter veritatem ordinis naturalis imponat hominibus obligationem credendi veritates *supernaturales* et servandi praecipia *positiva*, vel si illa admittitur, debeat pariter admitti

medium certum et tutum, et quidem iugiter perseverans quo veritates illas et praecipua cognoscere homines absque erroris periculo possint. Hoc autem non est nisi auctoritas a Deo ipso instituta, nempe ecclesia, a qua edocemur tum libros, quos sacram scripturam dicimus et veraces et divina inspiratione conscriptos fuisse, tum huic et non alium esse sensum illarum sententiarum seu verborum quae in iisdem continentur.

Tria itaque habemus ex verbis Christi : 1. immediatam missionem apostolorum ad gentes edocendas in rebus fidei et morum; 2. Jugem adstantiam Christi erga apostolos eorumque legitimos successores, usque ad consummationem saeculi in ejusmodi ministerio; 3. aeternum denique Spiritus Sancti cum iisdem magisterium.

Ergo apostoli sive ecclesia non solum habuit revelationem a Christo, sed habuit praeterea ab eodem Christo et a Spiritu Sancto germanum sensum ejusdem revelationis.

Ergo non soli apostoli, sed insuper legitimi eorumdem successores, seu ecclesia omnium saeculorum utitur seu gaudet iisdem praerogativis, infallibilitatis nempe et auctoritatis ad proponendam, custodiendam ac interpretandam hanc eandem revelationem, utpote persona moralis iugiter viveas usque ad consummationem saeculi (1), necnon ad conservandam revelationem in sua primitiva puritate et integritate, cui soli promissa est vita aeterna, et ad regimen in sua unitate conservandum.

Ergo apostoli, seu ecclesia jam constituta, ac supradictis Christi promissionibus munita, antequam ullus liber sacrae scripturae esset litteris consignatus, adeoque jam ex solemnibus Christi promissionibus inerrantiae dono perpetuo exornata (neque enim verba Christi vera sunt quia scripta, sed quia ex ore Christi processerunt), ecclesia, inquam praescribit (2) ipsi scripturae quam ipsamet approbavit ut

(1) Hic sedulo observandum est in corpore morali quocumque individua singula a morte praeripi, sed ita ut ipsa societas eadem semper subsistens sit ac viva, ac proinde deficiente aliquo individuo ipsa nihil omnino de propria subsistentia amittat. Quare cum ecclesia in apostolorum collegio ad instar societatis ac moralis cujusdam corporis fuerit a Christo instituta, ac statim in immensum prope exereverit, institutione aliorum episcoporum per apostolos facta, ex quibus successiones per totum terrarum orbem ceperunt ad nos usque descendere, corpus episcopale sub suo capite Petro, ac postea romanis pontificibus, nunquam interrupta serie episcoporum sibi invicem succedentium, semper idem viguit et est. Vivente adhuc s. Joanne apostolo, per universam terram fundata erant singulares ecclesiae. Cum defecit ultimus episcoporum qui cum apostolis conversatus erat, longe plures alii fuerunt, et ita deinceps; desit enim successio episcoporum apostolicorum in s. Polycarpo, s. Joannis evangelistae discipulo, qui martyrium subiit sub Marco Aurelio Antonino. His ferè temporibus floruerunt Hegesippus et Irenaeus qui mortui sunt imperante Commodus. Vid. Euseb. *Hist. eccles.* lib. II, c. 23, edit. Valesii.

(2) Hanc vocem usurpavit eo sensu, quo eam perpetuo adhibuit Tertullianus in lib. *de praescriptione*

divinam, verumque et legitimum oraculorum divino sensum assecuta est, tum viva voce ipsius Christi, tum ope divinae peculiaris adstantiae; ipsa divinas traditiones immediate a Deo accepit, ut eas fideliter custodiret usque ad mundi exitum.

Toties proinde objecta petitio principii, seu circulus vitiosus quo juxta protestantes ecclesia probatur per scripturam, scriptura vero per ecclesiam, non solum locum nullum habet, vel habere potest, sed prorsus ab ipsa natura rei et factis ipsis excluditur. Ecclesia enim admisit et approbavit ipsas scripturas (nempe Novi Foederis), quas vidit continere ea ipsa, quae a Christo acceperat, et conformes doctrinae quam profitebatur. Nam scripturae non sunt nisi instrumenta, in quae relata novit acta propriae possessionis velut in publicas tabulas, quae totam vim habent ad probandum ex proprio ipsius testimonio, et in quibus scripto consignatae sunt praerogativae eidem a Christo collatae, et quibus ipsa jam utebatur, antequam haec scriberentur, probarentur atque evulgarentur. Nam ecclesia jam habebat suam missionem divinam, suum regimen, suam infallibilitatem et auctoritatem; Petrus jam erat instructus jure primatus, ac ceteri apostoli ipsi subjiciebantur, antequam evangelia edita essent (1); cum autem eadem semper ac viva sit Ecclesia, sibi ipsi sufficit. Quod vero spectat ad scripturas Veteris Testamenti, de ipsarum divinitate certior facta est ab ipso Christo.

Cum igitur ecclesia divina illa oracula quae recensuimus, semper intellexerit de infallibilitatis et auctoritatis praerogativis sibi concessis, jure suo utitur, cum auctoritative christianae religionis dogmata tanquam totidem fidei articulos vel infidelibus quos in sinum suum admisit vel admittit, credendos proposuit ac proponit, vel a novitatibus turbulentorum quorundam filiorum suorum quovis tempore strenue intemeratos servavit ac servat, pervicacesque in proprio sensu persistentes anathemate percussit ac *nibus haereticorum*, necnon s. Irenaeus, alique patres.

(1) Fere omnes eruditi viri consentiunt, intra vii ac x annum post Christi in caelum adscensionem s. Matthaeum evangelio conscribendo manum admovisse in gratiam hebraeorum qui christianam religionem nomen dederant, teste Eusebio, *Hist. eccles.* lib. III, c. 24. Alii, inter quos Millius, in *Prol. ad N. T.*, differunt ad subsequentes annos publicationem evangelii Matthaei, innixi potissimum auctoritati Irenaei, qui lib. III, cont. haereses. C. 4, scriptum tradit a Matthaeo evangelium, cum Petrus et Paulus evangelizarent Romae, et fundarent ecclesiam; quod contigit multo post. Sed quidquid de hoc sit, quod aliis discutendum relinquimus, certum est ex Act. Apost. 1, 15, II, 14 et seqq., IX, 35, s. Petrum jam exercere coepisse traditam sibi divinitus auctoritatem. (Matth. XVI, 18, coll. Joann. XXI, 15 et seqq.) Evangelium autem editum non fuit a Joanne nisi post Petri mortem Ephesus et Patmos insula, Domitiano extineto, reduce, teste s. Irenaeo, lib. III, cont. haereses. cit. loc., ideoque anno 97 vel 98 aerae vulgaris, ut omnes consentiunt, si unum excipias Semlerum, *Pref. in Paraphrasim evangelii Joannis*, et in notis passim, aliosve ejusdem scholae rationalisticae alumnos.

percussit, qui ipsam a propria possessione earundem veritatum exturbare moliti sunt vel moliantur.

Idque magis evidens fit ex illis sententiis quibus Christus praecipit, ut haberentur tanquam ethnici et publicani quicumque ecclesiam audire detrectassent (Matth. XVIII, 17), cum declarat semetipsum audire qui ecclesiam audiret, semetipsum spernere qui ecclesiam spreverit (Luc. X, 16), ideoque rebelles ab auctoritate ecclesiae velut Deo ipsi rebelles condemnat. Quare coherenter ad hanc doctrinam quam semper hoc sensu ecclesia intellexit, apostolus Paulus Hymeneum et Alexandrum Satanæ tradidit ut discerent non blasphemare, cum ex iis essent qui circa fidem navem fregerant (I Tim. I, 20). Hinc saepe adhortatur Timotheum et Titum ad vitandos omnes novatores et haereticos homines, utpote subversos et proprio judicio condemnatos (Ad Tit. III, 10, et II Tim. III, 5; IV, 15); ita se gessit Petrus in epistola praesertim secunda (II Petr. I et seqq.), s. Judas in epistola sua catholica, quae tota est de hoc argumento, s. Joannes, tum in epistolis suis, tum in Apocalypsi (II Joan. 7 et seqq. Apoc. II, 6, 14, 15). Coherenter ad hanc ipsam doctrinam et auctoritatem ecclesia jam a primo saeculo simonianos, ebionitas, cerinthianos, gnosticos aliosque novatores ac protestantes e sinu suo rejecit (1); et sequentibus saeculis ad nos usque, ut infra dicemus, nunquam ab instituta hac agendi ratione recessit.

Sola igitur ecclesia a Christo instituta, seu corpus pastorum, integrum tamen, id est cum capite suo, seu Romano Pontifice, de quo infra, instructa est infallibili auctoritate ad revelationem proponendam, interpretandam et in violatam conservandam.

DIFFICULTATES.

Obj. Haec propositio nititur falso supposito; supponit enim a) Christum instituisse ecclesiam in modum unius corporis seu societatis per mutuam membrorum relationem et dependentiam saltem ab uno capite; b) divinam missionem praerogativam esse exclusivam istius corporis; c) illam oeconomicam fore perpetuam atque ordinariam; d) revelationem proponi a tali corpore; atqui haec falsa sunt; nam I. apostoli seorsim singuli et independenter ab invicem re-

(1) Cf. Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, c. 18, tum c. 26, 27 et alibi passim, praesertim lib. IV, c. 22, ubi memoratis menandrianis, valentinianis, etc., haec verba refert Hegesippi : *Από τούτων ψευδοχρηστοί, ψευδοπροφήται, ψευδοαποστολοί εβέντες έμύρισαν την ένωση της εκκλησίας θοριμαλοίς λόγους κατά του Θεού και κατά του χριστού αυτου, id est, Ex iis orti sunt pseudo-Chrismi, et pseudo-prophetae, pseudo-apostoli, qui adulterinam invenientes doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus, unitatem ecclesiae disciderunt; et immediate ante scripserat : Βασιλειαν. . . εκαστος ιδιος, και ετις εις ιδίαν δοξαν παρεσήγαγεν. Basiliani. . . qui seorsim singuli proprias opiniones induxerunt. Ex quibus discimus spiritum privatum originem omnium haeresum fuisse. Quod et de encratis notat idem Eusebius, lib. IV, c. 29 scribens quod legem et prophetas admitterent, sed ιδίως έρμηνοεύοντες τον ιερον τα νοήματα γραφών, id est, Proprio quodam sensu scripturas exponunt.*

velationem proposuerunt, totidemque fundarunt independentes societates (1); 2. apostoli non solum episcopatum representabant, cum acceperunt a Christo missionem, sed praeterea universitatem fidelium, qui proinde hoc ipso propriam missionem a Christo ipso immediate habuerunt; 3. temporaria fuit illa oeconomia, siquidem verba quibus Christus futuram suam adistentiam promisit, respiciunt ea tempora tantum, in quibus apostolis erant necessaria signa et prodigia ad disseminandum evangelium, ut patet ex Marci cap. ult.; 4. demum revelatio semper a privatis hominibus et individuis proponitur, imo quandoque et a laicis; ergo.

Resp. N. A. Ad prob. C. maj. et N. min. sub hac generali observatione, quod apostoli seu ecclesia quae immediate a Christo tum revelationem accepit tum ipsam missionem, aliter semper intellexit et in praxim redegit Christi verba et institutionem, ut in probationibus ostendimus.

Sed jam singillatim resp. ad 1. D. Apostoli seorsim singuli tanquam totidem membra ejusdem corporis et cum debita subordinatione ad suum caput, Petrum scilicet, ut inferius ostendemus, revelationem proposuerunt, C. alio sensu N. Negamus pariter totidem ipsos societates independentes constituisse; cum enim Christus universum gregem suum Petri curae tradiderit (Joan XXI, 17), hinc apostoli singuli acquieiebant, ut ita loquar, Petro; omnes illae partiales societates seu ecclesiae coalescebant in unam universalem sub regimine Petri, quae proinde jam ab ipsis apostolicis temporibus Catholica seu universalis nuncupata fuit (2).

Ad 2. D. Apostoli sub aliquo respectu interdum universum fidelium coetum representabant, C. semper, ac praesertim in officiis proprii ministerii, ideoque et missionis ad evangelicam praedicationem N.

(1) Ita Gibbon, Hist. de lapsu rom. Imp. cap. 13, n. v; juxta ipsum apostoli sibi non vindicarunt auctoritatem legislativam, episcopi et presbyteri ejusdem erant auctoritatis, ecclesiae ab initio erant totidem republicae quae postea formam foederalivam inierunt, unde origo unitatis, etc.

(2) S. Ignatius, Epist. ad Smyrnaeos cap. 8, sic ait: *Ἐποὺν ἀνὴρ ἁπλοῦς ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἕσται ὡς περὶ ὄνου ἀνὴρ ἢ Χριστὸς ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία*, id est « Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia ». Sic in epist. ecclesiae smyrnensis de martyrio s. Polycarpi legitur: *Καὶ ὁσῶτος τὸν τῆς ἀποστόλου στίχων ἀποκρίθων, εὐὸν τοῖς ἀκούστοις καὶ πάνσι δικαίοις ἀγαλλωμένους, δοξάζει τὸν θεὸν καὶ πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν κύριον ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν εὐαγγελίαν καθολικῆς ἐκκλησίας*, id est: « Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus (s. Polycarpus), una cum apostolis atque omnibus sanctis laetus glorificat Deum Patrem, et benedicit Dominum nostrum gubernatorem corporum nostrorum et catholicam per universum orbem ecclesiam », (apud Usserium). Et in actis s. Pionii, qui passus est sub Decio, legitur: « Tum Polemo, christianus, inquit, es? Respondit Pionius: sum profecto. Cujus, inquit Polemo, es ecclesiae? Respondit Pionius: Catholicae; nulla enim est alia apud Christum » (Cons. Valesius in notis ad cap. 40, lib. vii, Hist. eccles. Eusebii, et acta sanctorum apud Bollandum, mensis Febr. die 1.).

Alioquin frustra Christus inultisset peculiarem ministrorum ordinem; frustra segregasset Spiritus Sanctus Paulum et Barnabam ad opus ministerii (Act. XIII, 2); frustra apostoli ordinasset episcopos quibus commendarent fidei depositum (1 Tim. VI, 20) et frustra Spiritus Sanctus eosdem posuisset ad regendam ecclesiam Dei (Act. XX, 28); frustra denique Christus fidelibus id injunxisset, ut suos audirent ministros, iisdem obedirent (Luc. X, 16) iisque subessent, quae omnia apostoli in omnibus fere epistolis fidelibus commendant (1 Thess. V, 12; ad Tit. I; Hebr. XIII, 17, etc.). Et sane si omnes magistri, ubi discipuli? Si omnes pastores, ubi grex?

Ad 3. N. Nam Christi ecclesia semper indiget ejus praesidio et adistentia. S. Marcus loc. cit. ne innuit quidem aliquando miracula et signa in ecclesia cessatura. Addatur Christum apostolis eorumque successoribus promississe Spiritum veritatis qui doceat eos semper omnem veritatem, quique esset mansurus cum ipsis in aeternum; addatur praeterea Christi promissionem apud s. Marc. cap. ult. haecenus in ejus ecclesia adimpleri (1).

Ad 4. D. Revelatio semper a privatis individuis proponitur ut privatis hominibus et nomine proprio, N. ut publicis ecclesiae ministris et legatis ac nomine ecclesiae C. Nec enim semper vel princeps vel respublica vel senatus in persona propria vel subditis vel exteris gentibus propria exponunt mandata, aut voluntatem patefaciunt, sed per suos plerumque nuncios aut legatos; sic ecclesia per suos ministros gentibus Christi evangelium annuntiat, revelationemque divinam proponit.

I. Inst. Ergo etiam haereticus posset ecclesiae nomine fidem annunciare, et gentes ipsi credere tenerentur. Atqui hoc est absurdum.

Resp. D. M. Posset haereticus ecclesiae nomine fidem annunciare mentiendo, C. vere et proprie N. Quod si infideles bona fide ipsum ecclesiae ministrum putarent, tenerentur quidem credere, sed in hac hypothesis non propter ipsum crederent, sed propter ecclesiam cujus nomine praedicat et cujus nomen usurpat, ac populi illi sic edocti jam pertinerent ad ecclesiam Christi, ut infantes ab haereticis baptizati, et adulti qui bonae fidei sunt, seu ignorantia invincibili laborant. Ecclesia enim, ut loquitur s. Augustinus, etiam per ancillarum sinum liberos parit Christo (2).

II. Inst. Nullum saltem infideles motivum extrinsecum et infallibile habent, quo induci possint ad actum fidei efficiendum, et ad credendam fide divina quae ipsis proponuntur; ergo.

Resp. D. A. Nisi Deus aliqua ratione suppleret, Tr. vel C. si Deus suppleat N. Jam vero Deus vel per donum miraculorum ecclesiae ministris concessit.

(1) Ut patet ex dictis in Parte hujus tract. n. 392 et seqq.

(2) Hoc est argumentum septem librorum, quos s. Augustinus inscripsit de baptismo adversus Donatistas, in quibus ostendit fieri etiam aliquando posse, ut aliquis habeat aliquid catholicum extra ecclesiam catholicam, praesertim lib. 1, cap. 40.

sum, vel per internam gratiam suam, vel per utrumque simul cum infidelibus evangelium annuntiat, ipsos et illustrat et movet et persuadet et trahit adeo ut firmissime ac fide divina propositis fidei articulis assentiantur et credant, non minus ac si ab ecclesia ipsa ea credenda proponerentur. Brevi insuper iidem populi certiores fieri possunt de ecclesiae existentia ejusque prerogativis.

III. Inst. Possent tamen hac ratione illudi ac decipi; ergo.

Resp. D. A. Si mala fide agant, C. si animo sincero viam salutis quaerant N. Etenim Deus pro sua bonitate non patitur illos illudi ac decipi qui eum timent, et veritatem ex toto corde ac sincera mente inquirunt (1).

PROPOSITIO III. — *Sola proinde ecclesia est custos et interpretes infallibilis divinae revelationis, sive viva voce per traditionem transmissae sive litteris consignatae.*

Hae propositio est veluti corollarium praecedentis; etenim si Christus non privatis hominibus, sed pastorum coetui, seu ecclesiae a se institutae munus religionis propagandae et conservandae demandavit, si eidem specialem ad id munus rite obeundum ac perpetuam adistentiam promisit, si veritatis spiritum dedit in aeternum cum ipsa mansurum, si apostoli revelationis depositum delectis ad id successoribus custodiendum tradiderunt, ut patet ex illis apostoli verbis quibus sic Timotheum a se constitutum ecclesiae ephesinae episcopum hortatur: *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis* (II Tim. I, 14); *Tu asseductus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem... tu vero permanseris in his quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didicisti; quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (II Tim. II, 2); ac rursus: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (I Tim. VI, 20 et 21). Eadem inculcat Tito episcopo cretensi alii suo discipulo. Ex his plane consequitur, solam hanc ecclesiam custodem et interpretem infallibilem atque perpetuam esse divinae sibi traditae revelationis, non autem privatos homines quibus semper obedientia injungitur, in rebus praesertim fidei ac morum, nisi velint ab ecclesia ipsa extorres fieri, et haberi in censu ethnicorum et publicanorum ac haereticorum.

Revelatio autem partim scriptis consignata fuit,

(1) « Nam si sapientia et veritas, (praclare inquit S. August. de moribus Ecclesiae, lib. 1, c. 17, n. 51, 52,) non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quaeratur, ut dignum est, subtrahere se se atque abscondere a suis dilectoribus non potest... Amore petitur, amore queritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanet... O utinam possetis intelligere quae dicta sunt! Confestim abjeceritis omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imagines corporum, totoque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide sanctissimo ecclesiae catholicae gremio condere-tis. »

partim viva voce transmissa, juxta illud apostoli: *Teneat traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (II Thess. II, 14). Hinc s. Joannes in evangelio cap. ult. declarat se multa omisisse ex iis quae Christus fecit, et in secunda ac tertia epistola profitetur se plura adhuc scribenda habere, sed velle magis os ad os loqui (II Joan. 12, et III Joan. 13). Volens propterea apostolus Paulus quosdam contentiosos compescere, eos provocat ad contrariam ecclesiae consuetudinem dicens: *nos talem consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei.*

Sola idcirco ecclesia a Christo instituta est utriusque scripturae videlicet et traditionis depositaria, custos et infallibilis interpres ab ipsa sua institutione, ac talis erit usque ad consummationem saeculi, quia ipsa semper suam retinet possessionem ac praescriptionem, et semper habet in semetipsa legitimos titulos juris sui.

Quapropter sequitur, 1. illos omnes et solos libros scripturae canonicos et divinos esse ab omnibus admittendos, quos ecclesia Christi ut tales recognoscit et admittit. Istorum autem censum exhibet concilium Tridentinum, sess. IV.

2. Omnes et solas traditiones ab omnibus Christi fidelibus divinas habendas esse, quas eadem Christi ecclesia ut tales admittit ac veneratur.

3. Jure suo ecclesiam uti, cum non omnes promiscue scripturae versiones approbat et permittit, sed illas tantum quas ipsa authenticas et fideles recognoscit; et cum insuper versiones in linguas vernaculas non nisi sub praescriptis a se conditionibus vulgari ac legi permittit (1).

4. Haereticos nullum jus in scripturam ac traditionem habere, ac multo minus ad earum interpretationem, utpote refractarios et extra ecclesiam constitutos, ut infra ostendemus.

5. Privatos fideles fructum quidem percipere posse ex scripturis, cum omnia ad ipsorum bonum ac utilitatem in ecclesia ordinata sint, vel eas juxta ecclesiae regulas exponere et interpretari, sed eas sub conditione, ut ipsorum interpretationes et expo-

(1) Ecclesiam itaque non absolute sacrarum scripturarum lectionem in lingua vernacula vetare filiis suis, ut calumniatur haereticus, et post ipsos Jansenista, patet ex regula in *Indicis librorum prohibitorum*; sed cum depositaria et custos fidelis sit sacrarum eloquiorum, in primis vetat versiones quas ipsa non recognovit, cum in versione, ut notum est, possit sensus corrumpi facili negotio, quemadmodum corruptus est in tot versionibus haereticorum, quarum catalogum exhibet Lelong in sua *Bibliotheca sacra*, duobus vol. fol. Parisiis 1725. Sed praeterea, ea ratione qua infantibus, qui lacte opus habent, ad nutritionem solidus cibus subtrahitur, ne eis noceat, vult ecclesia ut annotationibus atque illustrationibus difficiliora loca explanentur. Praclare Comes de Maistre: « La douce colonie, avalant d'abord et triturant à demi le grain qu'elle distribue ensuite à sa couvée, est l'image naturelle de l'Eglise expliquant aux fidèles cette parole écrite, qu'elle a mise à leur portée; lue sans notes et sans explications, l'Ecriture-sainte est un poison. » Soirées de s. Pétersbourg, soirée XI, tom. II, pag. 544, édit. d'Anvers. Sed de hoc argumento ex professo in tract. *De locis theologicis*.